



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANCTAE MARIAE IN ASTANA** IN

CAZAKISTANIA PROVINCIA ECCLESIASTICA CONDITUR ET

ADMINISTRATIO APOSTOLICA ASTANANSIS AD GRADUM

DIGNITATEMQUE ARCHIEPISCOPALEM ET METROPOLITANAM EVEHITUR In Cazakistania fidelium copiam

confirmari laetantes cernimus atque ut ii usque volumus floeant et Christi salutem omnibus exhibeant, ad quorum

salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. Itaque, Apostolicae Nostrae potestatis usi

plenitudine, Provinciam ecclesiasticam in Cazakistania erigimus pariterque Administrationem Apostolicam Astanansis

ad gradum dignitatemque archidioecesis metropolitanae *Sanctae Mariae in Astana* evehimus, cuius archiepiscopalis

sedes in urbe Astanansi locabitur et templum sub vocabulo « Matris a Perpetuo Succursu » in eadem urbe situm ad

dignitatem ecclesiae cathedralis extollitur, cui exinde sedi nectentur dioeceses Almatensis et Karagandansis necnon

Administratio Apostolica Atraiensis, veluti suffraganeae Sedes. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem

Iosephum Wesolowski deputamus, Archiepiscopum titulo Slebtensem seu Sancti Fiaci inter montes, atque in

Cazakistania Apostolicum Nuntium, facta videlicet facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum

subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro

Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum*

*Petrum, die decimo septimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 9, p. 569 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana